

Soterion, admodum
reverendo &
excellentsimo
dno, dn. Joanni
Elai Tersero,...

Miltopaeus, Martinus,

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden

SOTERION;

Admodum Reverendo & Excellentissimo Dño,

**DN. JOANNI ELAI
TERSERO, S. S. Theolog. Doctori
Celeberrimo, Dioecesis Aboënsis Episco-
po Vigilantissimo, & Regiæ Academiæ
Auraicæ ProCancellario Am-
plissimo ;**

Meccenati & Musarum Patrono, omni observa-
tiæ genere ætatem suspiciendo ,
nuncupatum :

*Cum in primâ Episcopatus sui Synodo anniversariâ, editis aliquot Disputatio-
nibus Theolog, in Loc. De DEO, in maxima Cleri & studiosorum
frequentia præsideret; in Audit. Acad. Aboëns. Maximo,
d. 17, Sc. Jan. Anni clo lxx.*



A B O Æ

Excusum à PETRO HANSONIO Acad. Typogr.





Ortè remittentem curas, Permesside lymphâ
Et Cyrrhâ procul & sacris quibus Actius ille
Præsudet, eximio quem Cynthos & inclita Delos,
Quem Claros & Tenedos colit, & veneratur honore,
Occupat arctus amor, tacitas Parnassidos umbras
Thespiades, vatumq; patrem, citharamq; videndi:
Postquam muta chelys spatioſo tempore, montis
Qui Phœbo, Bromioq; sacer, juga carmine nullo
Verberat, & laurus squallebat marcida, tandem
Arcas adest, comites redeunt Heliconis alumnae,
Et Phœbi delubra patent & Delphica rupes
Panditur, Aoniæ revireſcit gloria ſilyæ,
Caſtalidesq; parant celebrare hæc feſta choreis.
Ocyus huc adſum, Pimplæi ruris honores,
Innexasq; comas lauro meliore ſorum
Miratus, dulcesq; ſonos, numerosq; canoros,
Tum quibus iſta modis concinnat gaudia Phœbus:
Flectitur ad feſtas donec chelys aurea laudes
Præſulis Abodici. Doctor TERSEUS amœno
Aonidum fuit ore frequens, huic perſonat æther
Carminibus, votisq; pijs, huic ſacra coronant
Templa roſis, inflantque tubas & vertice cœlum.
Sublimi feriunt, meritos gratantur honores
Aſſiduo huic comiti: veteris ſtat gratia facti,
Impenſusq; labor Muſis florente juventâ
Officijs redit ipſe ſuis, quantumq; ſeneſcit,
Tantum tollit humo ſeſe, & magis imminet aſtris.
Hæc ubi cõgnoſco Pindi nova gaudia & aures
Commodo, me proles Latonia voce decorâ
Compellat, patulamq; brevis ſic fatur ad aurem:
I citus & noſtro TERSERO dicito verba
Latitiæ & fauſtis ſoteria grata voveto
Aſpicijs, Chriſtiq; gregi gratare ſub axe
Parrhaſio, quem voce potens, monitisq; ſacrat
Ille reget, ſternetq; viam radiantis Olympi.
Erubui, ſaſſus præclari muneris auſus
Difficiles, hæc voce Deum Clariumq; vocavi:
Ipſe veni, nec enim docto ſine carmine tantus
Antiſtes cantandus erit: quibus annuit ipſe
Delius & reſonâ Terſerum voce ſalutat,
Quem chorus Aonidum ſequitur; vox omnibus una:
Salve gentis honos Gothicæ, celeberrime ſalve
Præſul hyperboreo ſeptem præſecte trioni,
Dux gregis intrepidi, qui Chriſti militat armis,
Dux & Apollinei cœtûs, cui magna ſub axe
Dona Lycaonio Sophia, Eufebiaq; miniſtrat
Alta domus Phœbi, patriæq; effingit in uſus.
Sic te præco Dei, Doctor Terſere juventæ

Primo in flore sacris operatum vidimus olim,
Castalidum, dum mente sagax tu tempora prima
Das studijs Latæ Pithus, lingvamque disertam,
Effingis, decus eloquij, Grajasque Camœnas
Excolis; atque puer posses contendere doctis
Ac palinam facere ancipitem, vel in Hellade cultâ
Progenitis. At quas diverso tramite signat
Lingva Ebræa notas, populusque Orientis, Arabiq;
Rite tenes, sacris misceris vatibus, audis
Legiferum Mosen, sancta & commercia patrum,
Felix ingenio, cui quicquid in orbe remotum,
Sensibus & latebris clausum est, mens alta recludit,
Et cœli scivisse vias dedit, altaque monstrat
Astra poli, certisque docet cognoscere signis
Æstus & pluvias, Hecates, Phœbique labores.
Tum quæ conducant populis præcepta regendis,
Gratia quæ mores decoret, quid consonet æquo,
Quæ sint jura domus, vitâ sine crimine ductâ
Exprimis & seclî quæ sint monumenta vetusti
Expedis, & quicquid mens ingeniosa requirit.
Inde peregrino terras sub sole calentes
Latus adis, lustrasque sagax Academica Tempe,
Quæ fovet in gremio dives Germania molli.
Te Rhenus, te Danubius, te Sequana novit
Et Rhodanus, Batavæq; urbes & Cimbrica tellus,
Ut profugi æquales studiosus tempora Ulyssis,
Et varios hominum mores cognoris & artes.
Ergo tibi meritos Pallas Salana triumphos
Erigit & roseo pronunciat ore Magistrum,
Hinc patriæ in laudes efficte & numinis, alti
Apte ministerijs, te clara Arhusia primum,
Vendicat & doctâ divini dogmata verbi
Voce sonare jubet, dociliq; præesse juventæ.
Sed dum fata volunt migrare in Fennica rura
Thespiades, reserata patent dum claustra Lycæi,
In Boream speritisque Academia transit Athenis
Christinæ Augustæ auspicio, quæ regna trionum,
Subdita sideribus, validis frenabat habenis;
Mittitur Abodiam renovatæ in Pallados ædes
Terferus, summi ut cœlestia jussa tonantis
Personet & mundo crucifixi nomina Christi
Nunciet, ac viridi monstrat fermone juventæ
Quid reseret cœli miseris angusta viarum.
Hic ubi bis quatuor sacrosanctæ vincula legis,
Et cœli pandit mysteria circiter annos,
Has Regina novo terras dignatur honore
Et jubet Abodix Terferum sideris instar
Thejologos inter Doctores figere nomen.

Hinc

Hinc antiqua suum repetens Upsalia civem,
 Ornatum titulo insigni sub Manalis ursæ
 Sideribus lætata rogat, sacra jura tonantis
 Explicet ut, juvenum divini oracula verbi
 Instilletq; potens animis. Novus occupat ardor
 Terferum, patrij ut totum se mancipet amplis
 Usibus ille soli & non enarrabile donum,
 Eloquij, ingenijq; simul, mirandaque mentis
 Doctor perpetuæ sacraret pignora chartæ.
 Inde notas Europa videt, miratur & optat
 His extare pares, quibus antiquissima Mosis
 Scripta suis studijs sacer illustraverat augur.
 Quodq; recens prodit monumentum in luminis auras,
 A primâ mundi nascentis origine ducens
 Temporis exacti causas, memorabile quicquid
 Obtigit, & regum patriæ sublimia facta,
 Eventusq; ferens varios; dignissima cedro
 Materies. Sed te vulgantum talia cœli
 Lex æterna vocat, veteresque remittit in oras
 Fœnorum, postquam superûm sententia jussit
 Doctorem quondam Petræum relinquere terras.
 Sic comes & magni tandem successor Eliæ
 Saphatides fuerat. Dum fama hæc Regis ad aures
 Fertur, qui Gothicas acies objecerat atris
 Hostibus & patriæ defendit limina felix:
 Siccinæ, ait, Petræus obit, succedet at illi
 Præfulis officio, Doctor **TERSERUS IANNES**,
 Qui gentis pridem linguam provector annis
 Addidit, meritis magnus, patrijque Lyçæi
 Nobilè lumen erat, quem nunc ecclesia Christi
 Expetit, & votis Arctoo destinat orbi,
 Plaudit ovans cœtus Christi ductore sub illo,
 Terferumq; suum cujus nunc insula crines
 Implicat, agnoscit, veneratur & ordine longo
 Mystarum occurfat, placidisque amplexibus ambit.
 Salve noster amor, Pimplæi gloria ruris,
 Et rutilum patriæ decus & natalis Olympi
 Accola, vive diu, transcende & pulveris annos
 Euboici felix! nec te ventura filebunt
 Secula, semper honos, Terseri & fama vigebit.
 Vive diu, Christoq; animas lucrare beatas,
 Regibus & coram cœlestia jussa reclude.
 Talia, sed longè Phœbus meliora, chorusq;
 Pieridum memorat, mediâq; in voce resistit.

Reverenter & officiosè, at subito scriptum

à
MART. MILTOPÆO,
 A. N. & F. Ph. Adj.